



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

In Funere mulieris nobilis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

unicuique in caput ipsius. Quare Defunctæ scribitur in cœlo titulus. Jer. 11. *Olivam uberem, pulchram, fructiferam, speciosam, vocavit Dominus nomen ejus.* Erat ramus cupressi, sanctæ N. Mortua, usâ SS. Sacramentis. Maritum deprecata, valedixit. Hæc planta est cupressi, sed cedro insita. Illi cœlum adscribit. Eccl. 24. *Sicut cupressus in monte Sion, & hic repeto illud Jacobi. Hic est titulus monumenti Rachel usque in presentem diem.* Talem titulum quaratis, qui non in verbis sed rebus consistit, & vobiscum manebit. Aliis titulis nites ô Defuncta, sed hic illustrior quem dedit vita bona, ex hoc noscêris in regione æterna. Grave nobis est resum dividi, lugent Fratres &c. Solatur bona vita, quia tamen 1. Cor. 3. *Quis novit sensum Domini, aut quis consiliarius ejus fuit?* Fiunt pro Defuncta preces &c. Gratias vobis hæc facientibus, & per nos illa Christum precatur, Da requiem &c.

In Funere Mulieris Nobilis.

CUM educurus esset populum Moyse ex Ægypto, præscripsit illi DEUS Exod. 3. *Cum egrediemini non exhibitis vacui, sed postulatibit mulier à vicina sua, & ab hospita sua vasa argentea & aurea, ac vestes, ponetisque eas super filios ac filias vestras, & spoliabitis Ægyptum.* Moyse insuper, Exod. 13. *Tulit Moyse ossa Joseph secum reliquias.* Et in via, ut scribit Josephus, Antiq. lib. 5. Jam arca præcedebat populum, jam ossa Joseph, aliquando aut illa, aut hæc sequabantur, habemus ossa Defunctæ, &c. Ego solabor his verbis Gen. 35. *Mortua est Rachel &c.*

Mortua est Rachel, Mortis memoria & ingrata, & frequens, & ubique scripta in homine: Memento homo quia pulvis, &c. In aqua, 2. Reg. 14. Omnes morimur, & sicut aqua dilabimur. In vento, Job. 7. Ventus est vita mea. In avibus, Eccles. 1.

R

Omnes

Omnes pretereunt tanquam aves; In sole, oritur sol & occidit. In mensa, mortes avium, ferarum quibus vescimur, & ea velut in sepulchro deponimus. In camera, sonat horologium omnia mortem commemorant. E contra dæmon securitatem ingerit Job. 40. Sub umbra dormit in secreto calami, in locis humentibus, protegunt umbra umbram ejus. Sed quomodo umbrae umbram? Rom. 5. Per unum hominem peccatum introiit in mundum, & per peccatum mors. Umbra peccatum, anima sine peccato. Thren. 4. Candidiores Nazarei ejus nive, rubicundiores ebore antiquo, Saphiro pulchriores. Sed in peccatum lapsa. Ibid. Denigrata est super carbones facies eorum. Amisit illud lumen. Pl. 4. Signatum est super nos lumen vultus tui. Mors etiam umbra, in morte tenebrescit ratio, oculi, memoria, nigra vestis. Seneca. Mors cuncta denigrat, has umbras fecit dæmon. Umbram ejus protegunt umbrae, spes vitæ. Moritur Juvenis, dicunt Senes, mortuus propter ebrietatem, &c. Moritur senex, dicunt Juvenes, jam pridem erat cadaver. Moritur æger, &c. Sanus, dicunt, diutius debiles vivunt, Pauper &c. dives. Hoc risit Seneca. Epist. 102. Navigationes longas, & pererrata littoribus alienis seros in patriam reditus proponimus, cum interim ad latus mors est, qua quoniam non cogitatur nisi aliena, nobis subinde ingeruntur mortalitatis exempla non diutius, quam dum miramur, hæsuræ. Tamen DEUS. Luc. 12. Quæ hora non putatis Filium hominis venire. Terret, ut corrigat. Cum puniret Ægyptum misit & locustas. Cum orat Moyses pro illis. Exod. 10. Fecit flare ventum ab occidente vehementissimum, & arreptam locustam projecit in mare rubrum ut ne una remaneret. Peccatum simile locustæ, omnia absument locusta, nascitur ex calore, Jacob. 1. Concupiscentia parit peccatum; veniat ventus ab occidente, à morte. Mors valet etiam in regna. Philo lib. Quod DEUS sic immutabilis. Ante Macedonum imperium incluta fuit

Perja-

Persarum felicitas. Sed una dies tam ingenti regno finem attulit. Fuit Aegyptiorum per ampla & magnifica potentia, sed nubes in modum felicitas eius praeceperit. Quid Aethyopes? Quid Cartago? quid Africa? quid Pontici Reges? quid Europa, Asiaque? & ut compendio dicam totus orbis habitabilis, nonne more navis suis deque jaectata fluctibus marinis, nunc adversis ventis, nunc secundis utitur. Nihil igitur est rebus in humanis praeter umbram, auramque plenissimam sine mora praetervolantem. Mors etiam imperium & Regnis formidabilis est. Hanc mortis potentiam descripsit Joël 1. Residuum Erucae comedit bruchus, residuum bruchi comedit rubigo. Quatuor Monarchias per has quatuor vermes intelligit S. Hieron. Cum DEUS punit miscet misericordiam. Abel mortuus Gen. 3. Posuit mihi Dominus semen aliud pro Abel quem occidit Cain. Submersus mundus, manserunt octo vivi. Sodoma periiit, mansit Loth. Cum subditi contribuunt, liberi sunt Domini, cum illi esuriunt, isti non suerunt, cum fulminat non timet justus. Sed mors, plaga Joëlis, nulli parcat, Joël hominem velut arborem cogitavit, Eruca vorat folia, locusta corticem, bruchus fructus, rubigo reliquum; ita mors, hoc modo Mortua Rachel, Defuncta N.

Mundus est instar malae Apothecae, omnes pixides inscriptae; multae vacuae, multae quid pro quo habent. Habemus titulos sine rebus. Cain significat possessionem; Abel vanitatem, contrarium in re, oportet nomini respondere. Alexandro Imp. dabant titulum Antonini pii. At ille, ut Lamprid. refert. *Ne Patres conscripti ad hanc necessitatem nominis me vocetis, ut ego cogar nomini huic satisfacere. Hac nomina insignia onerosa sunt.* Rachel significat ovem, Rachelem voco Defunctam N. Plin. lib. 12, c. 14. scribit quod oves hyeme & in autumno incubent sinistro lateri, alias dextro. Hoc ipsum praecipit DEUS Ezechieli 4. *Tu dormies super latus tuum sinistrum,*

Et cum hac compleveris, dormios super latus tuum dexteram. Sed homines modo volunt jacere in dextro, sed talibus. *Ne male dicti.* Epulo in dextro jacuit Luc. 16. Lazarus in sinistro, venit mors mutavit. *Recepisti bona in vita tua, volumus in exilio patriam, in luto gemmam.* Hinc Job. 17. *Noctem vertimus in diem.* Non sic anima bona. Cant. 3. *Tenui eum nec dimittam.* Commemorat super hoc Bern. serm. 26. in Cant. duellum Jacobi cum Angelo. *Ista non vult eum dimittere, & forte magis quam Patriarcha non vult, quia nec pro benedictione quidem, siquidem illo benedictionis accepta dimisit eum, hac autem non sic.* Nolo inquit benedictionem tuam sed te: Bene Theodoret. in Genes. *In Israele terrena in pretio, calum in mysterio.* Terrena in pretio apud Jacobum, Coelestia apud animam sanctam. Contenti multi benedictione terrenâ. Pl. 143. *Promptuaria eorum plena, oves eorum fetose, non est ruina maceria.* Filia eorum composita, De his dicunt. *Beatum populum dixerunt cujus haec sunt, sed errant. Beatus populus cujus D. DEUS ejus.* Anima sancta, non benedictionem, sed Christum vult. Sap. 14. *Creatura Dei in tentationem animae facta sunt, & in muscipulam pedibus insipientium, ut pro mure.* Desiderant Filium, nascitur pessimus, uxorem, divitias. Agrippina de Herode *Occidat dum imperat.* Quid illa Gen. 30. *Da mihi liberos alioquin moriar.* Habuit, & tum, *Si sic mihi futurum erat quid necesse erat concipere?* Adonias petit in uxorem Sunamiticam 3. Reg. 2. *ecce de illo Frater. Hodie occidetur Adonias.* Compatitur his in dextro cubantibus. Luc. 16. *Va vobis qui nunc habetis consolationem vestram.* Quare non potius ægris &c. Compatitur ut Job. 30. *Flebam super eo qui afflictus fuerat.* Quia ut Damiani lib. 3. Epist. 4. *Consolatio nutrix peccati.* Quia ut Chrysof. hom. 14. ad pop. *Consolationes mundanae quamvis sint varia, gravatos usu suo trahunt in tartarum.* Nec recipiunt coelestia Lau, Justinianus de agone Christi.

Christi. Nihil tam contrarium cælo quàm consolari in hoc mundo. Ideo Christus felicibus compassus. Sur. 20. Martii S. Wolfranus Episc. Frisæ, adduxerat ad fidem filium, Pater Radborus jam eandem erat suscepturus, nocte præcedente Baptismum, comparet dæmon, ostendit palatium aureum, monet ne mutet fidem, promittit hæc ipsa se illi in sylva ostenturum. Nuntiat hæc Sancto Radborus, admonet fraudis Sanctus nihilominus ad videndum palatium in sylvis mittit Sanctus, Diaconum, & Dux suum, vident omnia, aurea, & thronum de quo vox. *Hæc domus est & ista sedes, quam Radbero DEUS suus, post hanc mortalitatem daturum se spondit.* At Diaconus si hoc est opus Dei stet in æternum, si dæmonis, pereat statim, & periit, cum redeunt ut id Radboro dicant, inveniunt mortuum. Multi sunt Radbori, palatia dæmon aurea promittit, non curant cælum, *Noctem verterunt in diem, in labore hominum non sunt.* Dextro incubant, vellent simul cælum, sed Hieron. *Delicatus es o Frater, si & hic vis gaudere cum seculo, & postea regnare cum Christo.* At nostra Defuncta quamvis in domo magne, & Matrimonio, servavit quod virginibus dictum I. Cor. 7. *Mulier innupta & virgo cogitat qua Domini sunt, ut sit sancta corpore & Spiritu.* Ita laudavit Agnetem Imp. Damiani. *Non impedivit vinculum Matrimonii animi ejus volatum, non emollivit lectus mollis cor cruci affixum, in matrimonio tanquam virgo, in palatio tanquam in calvario, vixit in seculo absque seculo, Patriam æternam mente voluens, cogitatione tangens.* Sinistro incubuit memor illius. *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Dedit DEUS genus, maritum &c. Sed illa. *Nolo benedictionem tuam, sed te.* Non cecidit in muscipulam ut Radborus. Quidam petiit à S. Augustino, ut est in Alphab. Christi. ut ostenderet illi statum in quo salvandus esset, apparuit Sanctus & dixit. *Transite vana, transite vana.* Quod deberet mundum

contempnere. Ita illi. Defuncta, in conviviiis, *transite vana vestitu, honoribus, &c.* Servavit bene ovium conditionem, *helans ad coelum. Satiabor cum apparuerit gloria tua.*

Eccl. 18. *Intuere omnia opera Altissimi, duo & duo, unum contra unum.* Leo cum leone, duo & duo ovis cum lupo, unum contra unum. Aug. lupo assimilat peccatum. *Dicitur vulgi per diuocem à visu lupi, idem facit peccatum, aspexit te lupo, non non dices confidenter, Pater noster, &c.* Et lupo infascinat. Ovis timore, timidà conscientia ut ovis. Homo debitor est DEI divitis, *qui dives est in misericordia accepit ab hoc homo multa.* Jacob. 1. *Omne datum optimum, & omne donum perfectum desursum est descendens à Patre luminum.* Expectat debitum usque, *cum accepero tempus justitias judicabo, suo tempore.* Creditor pauper, conscientia urget statim, hinc pavor. Deut. 28. *Dabit tibi Dominus cor pavidum, & deficientes oculos, & animam consumptam mœrore, & erit vita tua quasi pendens ante te. Timebis die ac nocte, & non eredes vita tua. Manè dices, quis mihi det vesperum? & vespere, quis mihi det manè? propter cordi tuam timidinem quatueris, & propter ea quæ tuis videbis oculis.* Hæc tortura malæ conscientie maximè, *vita tua pendens ante te.* Ut si non ligatis oculis stes coram carnifice. Omnia tormenta Tyrannorum superat conscientia. Seneca. *Prima & maxima pœna peccantium est peccasse.* Ante judicia torquentur, omnia superat; simul est instigator, Judex, executor. Aug. *Justi Domine, & ita est, ut omnis inordinatus animus sit sibi pœna.* Sequitur. Aug. in Pl. 45. *Inter omnes tribulationes anima humana nulla major est quàm conscientia delictorum si enim ibi vulnus non fuerit, ubicunque alibi passus fuerit tribulationes, illuc confugiet, & ibi DEUM inveniet. Quasi non fuerit ibi requies propter abundantiam iniquitatis, quoniam & ibi DEUS non est, quid facturum est homo? quo confugiet? Fugiet ab agro in civitatem, à publico in domum,*

domum, à domo in cubiculum, à cubiculo jam quò fugiet? non habet nisi interius cor suum. Quodsi ibi tumultus est, si fumus iniquitatis, si sceleris fama, illos confugere non potest, à seipso pellitur. Si autem rem à seipso? quò fugiturus est? quocumque enim fugerit, se trahit post se & quocumque traxerit se, cruciat se, huiusmodi autem cruciatus tanto sunt acerbiores, quanto interiores. Sed neque Lipsius malè. Conscientia ante peccatum frænum, post peccatum flagrum. Condiciones bonæ conscientia sunt 1. Quia non timet, nec lingvas, nec calus, nec persecutiones, fulmina, maleficia. Sueton. de Caligula Imp. Ad minima tonitrua & fulmina conivere caput obvolvère; ad majora verò proripere se exstrato, sub lectumque condere solebat, pessimus erat. Ita Pharao rogat Moysem. Ille Exod. 9. Cum egressus fuero de urbe, extendam palmas meas ad Dominum, & cessabunt tonitrua. Pharao se abscondit, Moyses pergit. Ferdinandus 1. Dux Florentiæ, pingebat canes allatantes Lunam. Inscript. *Virus ubique tuta*. Aug. illa reparebat. *Senti tu quidquid velis de Augustino, sola me in oculis DEI conscientia non accuset.* De hoc 2. Cor. 1. *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientia nostra.* S. Tiburtio allata martyrii instrumenta, at ille. *Omnes pæna vobis sunt viles ubi sicura comes est conscientia.* 2. Condicio bonæ conscientia non pulsat. Bern. lib. de interiori domo cap. 23. *Ager benedictionis, hortus deliciarum, templum Salomonis,* loquitur de bona conscientia. An, quia templum ornatum? etiam conscientia. An, quia ibi sacrificia, etiam hic. *Grande sacrificium bona conscientia.* An, ob præsentiam DEI? etiam hic. *Conscientia castæ inhabitator DEUS.* Sed præcipuè, quia de templo illo 3. Reg. 6. *Cum adificaretur de lapidibus dolatis atque perfectis, malleus, & securis, & omne ferramentum, non sunt audita in Domo Domini. Non est malleus, ibi habitat DEUS. In pace factus est locus ejus, & habitatio ejus in Sion.* 3. Habet bona conscientia semper ad cœlum

lum

lum accessum. Chrysof. hom. 12. ad Rom. *Nihil sic animas sustentare, erigere, ac veluti volatiles reddere consuevit, ut conscientia bona.* S. Macarius hominem comparat avi, sed malum habet alas accisas, bonus integras. Habet suum festum bona conscientia, veniunt ad festa & divites ornati, & pauperes. Chrysof. l. c. *Etiamsi universum orbem choreas agitare videat, hac ipsa de causa magis angitur ac dolet, pauper. Dives vero delicatus mutatoris vestibus abundans, in summa prosperitate vivens, etiam extra festiva tempora festum agere sibi videtur. Ita & spiritalibus usi venit. Qui enim vivit in iustitia & operibus bonis, vel absque festo, festum agit. Qui vero in peccato & malitia vitam degit, multorum malorum sibi met conscius, etiam cum maxime festum est, festo caret quam maxime.* Defuncta habuit puram, sed timidam conscientiam, aliqui timent sed mali. Eccl. 21. *Quis à facie colubri fuge peccatum quare, non ut colubrum? Id peccato, est culpa & poena, culpa caput, poenæ cauda, magis caput timendum. Illi solam timent caudam. Sed, inquit. Ambr. Trepidare infirmitatis est & timoris, atque formidinis. Ideò de conscientia timida non potest laudari Defuncta. Sed cum eodem in Pl. 118. serm. 21. Resp. Est etiam timor Sanctorum. Timete Dominum omnes Sancti eius, & Beatus vir qui timet Dominum; qua ratione beatus? quia in mandatis eius cupit nimis. Talis timor fuit Defunctæ. Abraham cum sæpe mutaret locum, tamen hospitalitatis non oblitus, semel sub arbore, Gen. 18. In ostio tabernaculi sui in ipso fervore diei. Cur sedie in sole? Chrysof. *Tantopere curabat hospitalitatem, ut nollet horum venerationem cuiquam familiarium committere, sed 318. vernaculus habens, homo senex & decrepita ætatis apud januam sedebat, quomodo? In ipso fervore diei. 2. Reg. 4. simili tempore Ithobal filius Regis dormit. Dormiebat super stratum suum in meridie. Ad portam Ostiaria domus purgans triticum dormivit. Cur non**

excubiæ? cur non domus clausa? occisus à latronibus. Abraham ipse excubavit. Ex hoc Nilus in Asceticis. *Quomodo enim Rex feminam haberet ostiariam, qui satellitum multitudinem cum omni apparatu munitus esse deberet? Idcirco magnus ille Abraham non permittit uxori ut ostium seruet, neque enim ignorat quàm facile sensus decipiatur. Non reliquit Defuncta in porta conscientiae ancillam, id est, sensus, Abraham, ratio custodivit; inde Nihil toruum in oculis, nihil in verbis procax, nihil in actu invere cundum, non gestus fractior, non incessus solutior, non vox petulantior. Ipsa species corporis simulachrum fuit mentis, figura probitatis.*

Ovis foecunda. Natura facit quod potest, & cum aliquo casu non potest aliud, facit monstrum. Helian. lib. 1. Hist. In insula Cai, ovis peperit leonem apud divitem Nicoppum, augures explicuerunt, de magna felicitate, hæc eadem natura dedit homini appetitum vitæ, quare saltem curat ut in prole vivat. Chrysost. hom. 18. in Genes. *Postquam subintravit mortalitas, summa consolatio erat filiorum successio. Idcirco misericors DEUS puniendi severitatem diminuens, & morte personam auferens, successionem filiorum largitus est, & quasi imaginem resurrectionis, per hoc subindicans & dispensans, ut pro cadentibus alii resurgant.* Quamquam alii dubitant, an sic bonum habere prolem? Boëtius. *Est infortunio felix qui caret liberis.* Maximè si nasci debeat, Cain, Cham, Ruben, Absalon, Nero, Caligula, Salomon collectis opibus & consideratis successoribus Eccl. 2. *nauseam de illis concepit, nescio an hæredem sum habiturus sapientem? sed etiam educatio laboriosa.* Tertull. *Amaræ est liberorum voluptas.* Ideò Cosmus Medices Dux Hetrurizæ cum illi natus esset Filius, curavit parvam oleam dapingi Inscript. *Curabo.* Olea filium notat. Pl. 143. *Filius sicut novella plantationes in juventute sua.* Inscriptio Patrem monet. Volo

S

ut.

ut sic pacificus ut olea, *Curabo*. Incorruptus, sine scandalo,
 sic virtuosus, *curabo*. Sed pauci boni Parentes. Chrylost. lib.
 3. contra vitup. vitæ Monasticæ. *Perquam iniquum & indi-
 gnum est, si filium tuum ad Regiam & Regem introducas ut ipsum
 familiarissimum Regi carissimumque constituat, omnia & facu ex
 pateris, cuncta moliris nihil penitus dum id quæris omittens, aut
 subterfugas; non sumptus, non pericula non incommoda. Cælestia
 verò militiæ, cælestiumque munerum optione postposita, non dolens
 si extremum sortiatur locum, sicque omnium novissimus. Sagitta-
 rius dum collimat, assumit altius; Parentes juvant ad cælum
 præ aliis, quare malus Pater felicitior sine liberis, quia non
 est particeps eorum damnationis. Sed in scriptura fecunda
 erat felicitas. Maledixit Jer. 22. *Scribe virum istum sterilem,
 virum qui in diebus suis non prosperabitur, nec enim erit de semine
 ejus vir qui sedeat super solium David, & potestatem habeat ultra
 in Juda.* Romæ in Amphiatro petiit senex à Juvene ut ipsi
 loco cederet, respondit, non cedam, quia non genuisti junio-
 rem qui mihi etiam possit cedere. Aug. filios vocat memoria-
 lia & imagines Patrum. Quia Eccl. 30. *Mortuus est Pater ejus,
 & quasi non est mortuus, similem enim sibi reliquit post se.* Sint
 proles lapides ex quibus confurgit Familia. Exod. 3. *DEUS
 adificavit Domos* Id est, familias. Ruth. 4. *Quæ adificaverunt
 Domos Israël.* Deut. 25. *Qui non adificat Domos Fratris sui.*
 Quare gaudendum de Filiis. Sed si Mater stultè urgeat Gen.
 30. *Da mihi liberos alioquin moriar?* Respondeat. *Nupquid
 pro DEO ego sum qui privavit te fructu ventris tui.* Rabini nar-
 rant, quod cum alios claves DEUS Adamo dederit, sibi quin-
 que rationis. Fabulentur illi, ego claves quinque reperio. 1.
 Pluviæ Deut 28. *Aperuit Dominus thesaurum suum optimum ut
 tribuat pluviam in tempore suo.* 2. Pl. 34. *Producit ventos de the-
 sauris suis.* 3. Pl. 44. *Aperis tu manum tuam & implet omne ani-*
 mal*

mal benedictione. 4 Ezech. 32. *Ecce ego aperiam tumulos vestros, & educam vos de sepulchris.* 5. *Prolium i. Reg. i. Pro puero isto rogavi, & dedit mihi Dominus petitionem meam.* Fecunda fuit Defuncta. Chrysol. ferm. 22. *Grave est & satis triste, & virginis carere pramio, & filiorum solatia non habere: sustinere onera matrimonii, & ad fructum Matrimonii non venire.* Domus hæc est Domus Nicippi. Multis servire potest quod unus Laco cum ipsi in imaginibus ostenderet bella suorum Atheniensis, ecce quomodo fortes sumus; ac ille. *Fortes sed in tabula.* Ostendunt imagines Majorum, ac ipsi fortes in tabula, ostendunt armamentaria, Chronica, in tabula, sed hujus filii non sic. Arist. hist. c. 12. *Aquas narrant esse multis in locis, quas cum oves biberint nigros generant agnos, ut in terra Assyriside, Chalcidici, Thracia facit amnis, quem præ nimia frigiditate Psychion vocant, Et in Alexandria duo sunt fluvii, quorum alter candorem, alter nigritiem pecoribus facit. Scamander etiam amnis flavos reddere oves creditur.* Defuncta, erat avis, transit ad Mariti domum N. velut fluvium, nascuntur agni candidi Innocentiâ modestiâ, devotione, flavæ affectus ad bellica.

Mortua est Rachel & sepulta in via que ducit Ephratam. Ephrata idem est, quod ubertas, sepulta in Ephrata, in via salutis, quia de cælo Pl. 35. *Inebriabuntur ab ubertate domus tue.* Ephrata idem quod frugifera. Surgent fruges. Judas cum vendidit Christum, retulit argenteos, venterunt illos in sepulturam peregrinorum. Quare? S. Maximus *ut quibus nulla est in mundo possessio, in Christo sit sepultura.* Spero quod Defuncta sepulta in via salutis quæ ducit ad ubertatem, sepulta in Christo, quia sperabat mundum, egit ut 1. Cor. 2. *Qui utuntur hoc mundo tanquam non utantur.* Fuit peregrina, Mortua Sara Abrahamæ, quærit locum pro sepulchro, invenit duplicem speluncam. *Duplex sepulchrum debetur, nature, & meritis.* Ubi
 201531 S 2 ista

ista reponas. *Non habemus hic civitatem manentem. Oportet in Christo sepeliri. Philofophus quidam hoc tumulo inculpsit. Nudus in hunc mundum venit, miserè vixi, dubius moriar, quò venturus sum nescio. Ista Echnicus, sed nostra Rachel que sepulta est in via qua ducit Ephratam.*

Erexit Racheli *Jacob titulum.* Ab antiquo ponebantur Epitaphia; Machabæis erexerunt filii pyramides & in illis appenderunt arma, & inculperunt naves. In Alexandri Magni tumulo erat ex cupro statua Asiæ ligata itemque Africæ, inscript. *Victoria Alexandri.* In sepulchro Josephi in Ægypto, lapidei frumenti manipuli. Hieron. ad Pammachium ep. 26. *Ceteri mariti super tumulos uxorum spargunt rosas, violas, flores, que purpureos, & dolorem pectoris his officiis consolantur. Pammachius noster ossa veneranda elemosynæ balsamo rigat. Erexit Maritus Epitaphium. Marite iterum tibi uxor valedicit, gratias agit &c. Et nos unanimiter. Requiescat in pace.*

In Funere Mulieris Nobilis.

O Diem luctuosam quâ mortua est N. Mater pauperum &c. Job. 3. *Dies ille vertatur in tenebras, & non requirat eum DEUS desuper, & non illustretur lumine.* Per dies septem Amici cum visitarent Jobum præ dolore non loquebantur. Alias dolor loqui solet, sed quid loquar? dolores de hac morte numerabo.

Lugēt imprimis familia. Sunt aviculæ dictæ soroaetes in terra Saracenorum, quæ Dominica Passionis lugubres sine cantu pendent ab arboribus, alis in crucem expansis, & dum Eclipsim Luna patitur, corda in illis obrigescunt, oculi caligant. Imago hæ aves sunt familiæ. Jer. 1. *Nunquid avis discolor hereditas mea mihi, nunquid avis tineta per totum? Discolor*